



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 8. Postulata Poloniae Regis Pontifici proposita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

## §. VIII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1556.*Postulata Poloniæ Regis jussu Pontifici proposita.*

Insuper Sigismundus II. cognomento Augustus Poloniæ Rex per Legatum suum, qui de accepta summi Pontificis dignitate Romam gratulatum advenerat, quædam in Protestantium favorem proponebat, eaque postulata ad quinque redigebantur articulos, quorum primus agebat de Missa lingua patria, ac populari celebranda; II. de cœna Domini sub utraque specie percipienda; III. de Sacerdotum conjugio; IV. de Annatarum solutione tollenda; V. de Concilio ejus nationis, ad abusus ibi reformandos, & opiniones varias in religione conciliandas, convocando.

Hæc postulata summus Pontifex iniquo ferebat animo, ingemiscens, quod tot gentes Sedis Apostolicæ, ac Pontificiæ auctoritatis jugum excutere molirentur, quocirca animo commotus respondit, proxime se indicturum Romæ generale Concilium, quo hæreses, ac pravæ multorum opiniones orbi patefierent. His verbis ea, quæ in Germaniæ comitiis, necnon in Austria, atque Bavaria facta nuper essent, notare putabatur: cumque has ob causas vel



Sæcul. XVI  
A.C. 1556.

vel re ipsa animo constituisset, vel certe præsetulisset, Concilium necessario requiri, hinc etiam voluit, ut omnes legati Principibus suis significarent, quod decrevisset, Concilium aliud Lateranense, non abfimile superiori illi celeberrimo, circa annum Christi millesimum ducentimum decimum quintum sub Innocentio III. celebrato propediem convocare: insuper Nuntios ad Cæsarem, & Galliæ Regem designavit, qui ad pacis consilia eos hortarentur: Postea non modo Nuntiis suis mandavit, ut apud Principes de Concilio verba crebro facerent, sed etiam in Patrum Senatu ipsemet oratione diffusa more sibi familiari necessitatem Concilii primo quoque tempore habendi edocebat, eo quod præter Bohemiam, Prussiam, ac Germaniam, hæresum labe misere infectas insuper Polonia periclitaretur, neque tolerabilis esset Galliæ, Hispaniæque conditio, ubi Ecclesiastici adeo male habentur. (\*)

§. IX,

---

(\*) Hæc livido calamo in summum Pontificem esse scripta haud mireris, benevole Lector; rursus enim ea ex Paulo Sarpio esse deflorata scias.